Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Commentarii in primvm, secvndvm, tertivm, et quintum Ethicorum Philippi Melanchthonis

Melanchthon, Philipp
Aristoteles

Argentinae, 1535

VD16 A 3417

Discrimen svmm Iuris et [...]

urn:nbn:de:bsz:31-106587

Visual Library

petunt ſimpliciter bonas, quia in illis expetendis aut excellere, aut deficere poſſunt. Quidam autē ita fruuntur bonis, ut nō nimium expetant, ut fortaſſe dĳ: quidam prorſus ſunt mali, immedicabiles & inutiles. Alĳ uero ſunt eiuſmodi ut aliquouſq; proficiant id humanum eſt.

DISCRIMEN SVMM

Iuris & ἐπιεικείας.

Deinceps dicendum eſt de æquitate, & æquo & bono, quomodo ſe habeant ęquitas ad iuſticiā, & æquū ac bonū ad iuſtum. Non enim ſimpliciter idem ſignificant, neq; tamen genere diuerſa ſunt. Interdū enim laudamus ęquitatem, et uirū equū & bonum, & translatione quadā pro bono æquum dicimus, & melius quiddam eſſe prædicauimus æquū quam iuſtum. Econtra abſurdū uidet laudare æquitatē ſi aduerſatur iuſticię, ſi quis expendat hæc ſubtili ratione. Aut em̄ iuſticia nō eſt laudanda, aut

Aequum quid.

ſi iuſticia laudanda eſt, æquitas non eſt laudanda, ſi quidem aduerſatur iuſticiæ. Aut ſi utraq; laudanda eſt, eaſdem eſſe neceſſe erit. Ad hunc modũ dubitari de æquitate ſolet.

RESPONSIO.

Verum hæc omnia recte dicuntur ſi ſuo quęq; modo intelligantur, nec pugnant inter ſe. Nam æquum eſt iuſtum, & aliquanto melius iuſto, nec ut contrarium genus iuſto melius. Eadem igitur ſunt in genere iuſtum et æquum, & cum utrumq; laudandum ſit, melius tamen eſt æquum.

Habet & hic locus inſignem utilitatem. Neceſſe eſt enim tenere diſcrimen ſummi iuris & æquitatis, quam nũc quoq; uocant uocant ἐπιεικείαν. Itaq; & iuriſcõſulti diligenter diſcernunt ſcriptũ ius ab æquitate. Neq; uero tantũ in foro ac negocijs ſed in tota uita, in omnibus actionib. hoc diſcrimẽ conſuli oportet: quia in omni uita incidũt plurima negocia priuatim et publice, de quibus neutiquã iudicandũ eſt ſummo iure, ut de amicorum erratis: de magiſtratuum, legum & iudiciorum erratis, quæ diſſimulare excuſare, boni conſulere magna eſt ſapientia &

necaſſaria